

ÆSCULA V. PRIORA. quibusdam Græcis fama notam esse video, quam illi Orcyniam appellant. Indicare videtur PTOLEMÆUM, qui ορκύνιον δρυμὸν habet, quem DIONYSIUS Periegetes ἐρκύνιον δρυμὸν, hercynium saltum nominat. Inter Latinos LIVIUS passim Germanicos saltus, & Hercynios saltus memorat, quorum etiam meminit PLINIUS, & alibi hercynium iugum appellat.

Dion. c. 286. Ptol. lib. II. c. 11. Liv. lib. IX. c. 36. L. V. c. 34. Plin. histor. nat. lib. IV. c. 25. & 28. Cæs. l. c. n. 34.

De situ orbis. lib. III. Silvam hanc nobis designat CÆSAR ex relatione, quam acceperat, dum ad Rhenum in Germania secunda apud Ubios versaretur, his usus exploratoribus, quum Suevos sese in silvas recepisse comperisset. Huius, inquit, Hercyniæ silvæ, quæ supra demonstrata est, latitudo novem dierum expedito patet. Hæc quidem de latitudine eiusdem silvæ intelligenda sunt; quæ vero postea habet: Neque quisquam est huius Germaniæ, qui se adisse ad initium eius silvæ dicat, quum dierum iter sexaginta processerit, aut quo ex loco oriatur, acceperit; omnino ad eius longitudinem pertinent. CÆSARI concinit etiam MELA: Silvarum (Germaniæ) Hercynia, & aliquot sunt, quæ nomen habent, sed illa dierum sexaginta iter occupans, ut maior aliis, ita & notior.

Res. Germ. lib. III. Quæ autem prædictis interferit CÆSAR: Oritur silva illa ab Helvetiorum & Nemetum & Rauracorum finibus, rectaque Danubii fluminis regione pertinet ad fines Dacorum & Anartium, perperam intellexit RHENANUS, ubi pro Rauracorum, quod in cunctis CÆSARIS impressis exemplaribus habetur, legit Tauracorum, corrupto codice haud dubie deceptus. Neque enim dubium est, Nemetibus, Helvetiisque non Tauracos nescio quos, sed Rauracos esse vicinos ac conterminos, a quibus finibus orta Hercynia silva, recta fluminis Danubii regione ad fines Dacorum & Anartium, usque in Pannoniam scilicet, pertineat.

Orta apud Nigram silvam. II. Hieron. SURITA in emendationibus ad Itinerarium ANTONINI Aug. in codicibus vetustis commentariorum I. CÆSARIS, non solum Rauracos, sed etiam Rauracorum oppidum (Augustam videlicet Rauracorum, urbem ad Rhenum, Basileam inter urbesque silvestres) legi asserit: quod dubium tamen movere posset, quum in inscriptione lapidis Gaieta Munatius PLANCUS tempore AUGUSTI Imp. adeoque post CÆSARIS tempora, coloniam Rauricam primus deduxisse dicatur. Neque vero contenderim cum eo, qui asseruerit, oppidum ibidem fuisse tempore Iulii CÆSARIS, quod postea deducta illuc sub AUGUSTO colonia in urbem excreverit. At hæc, quum christiani nominis ævum antecedant, ad nos haud adeo attinent, sed regionis dumtaxat tractum determinant, qui eam Hercyniæ silvæ partem

fluviiorum plurimi ad septentrionem e montibus Hercyniis profluunt, qui tam altitudine quam multitudine maximi in hoc tractu habentur. ARIST. l. c.